

DE  
MEDIÆ GRAECORUM COMOEDIAE

NATURA ET FORMA.

SCRIPSIT

GUIL. HENR. GRAUERT,

PHIL. DR. ET PROF. EXTR.

---

Quum propter multarum quae sibi argumenta conformavit tragoediarum in acerrima vituperia merito incurrat Euripides: genuinam cothurni granditatem ac magnificentiam non facile unquam laesit gravius quam ea fabula cui indicem posuit Αἰόλος. Cuius quidem de argumento sic testatur Schol. Aristoph. ad Nub. 1374.: γέγραπται δράμα Εὐριπίδου Αἰόλος λεγόμενον, ἐν ᾧ παρήγαγε Μακαρέα, τὸν παῖδα Αἰόλου, φθείροντα (immo φθειραντα) Καναχὴν (Καναχὴν scriptores plerique, variante tamen saepe lectione) τὴν ἀδελφὴν. Paulo urbanius Halic. Dionysius Art. Rhet. c. IX. §. 11. p. 354. sq. Reisk., quum de eo rhetorum dicit artificio (διοίκησις), ut aliud eloquantur, aliud oratione sua studeant assequi, post exempla ex Demosthene posita sic pergit: Ἀλλὰ καὶ Εὐριπίδης δι' ὅλων λόγων διοικήσεως σχῆμα περαινεῖ ἐν ὅλῳ δράματι, ἐν μέρει τινὶ σχῆμα διοικούμενον· ἐν τῷ Αἰόλῳ ὁ Μακαρεύς ἐστιν ἑμιλήσας τῇ ἀδελφῇ καὶ λανθάνων, καὶ συμβουλευὼν τῷ πατρὶ τὰς ἀδελφὰς τοῖς ἀδελφοῖς συνοικῆσαι (fort. συνοικίσαι cum Wolf, et Sylb.), ἵνα τὸ οἰκεῖον διοικήσῃται, καὶ οὕτως ἐσχημάτισται ὁ λόγος κοινῇ

γνώμη καὶ συμβούλῃ. In superioribus διοικούμενος coniecit Syll.: atque est sane quaedam corruptela in verbis, sententia satis plana. Sic autem intellige Schol. Arist. Ran. 873. Aeschylus enim quum indignatione permolus τὸν ἑακισυρῶδαπτάδην ita affatur:

ὦ Κρητικὰς μὲν ἑυλλέγων μονηρίας,  
γάμους δ' ἀνοσίους εἰσφέρων εἰς τὴν τέχνην.

haec commentatur schol.: ἐν γὰρ τοῖς Κρησίν Ἰκαρον μονη-  
δοῦντα ἐποίησεν. καὶ οἱ μὲν εἰς τὴν Ἰκάρου μονηρίαν ἐν τοῖς  
Κρησί· θρασύτερον γὰρ δοκεῖ εἶναι τὸ πρόσωπον. Ἀπολλώ-  
μιος δὲ ὅτι δύναται καὶ εἰς τὴν Ἀντιόπην τὴν ἐν τοῖς Κρήταις  
(ταῖς Κρήσσαις verissime Bentl. Ep. ad Mill.) εἰρηῆσθαι, ἣν  
εἰσήγαγε πορνεύουσαν. οἴμαι δὲ διὰ τὰ ἐν τῇ Αἰόλῳ. Τιμα-  
χίδας δὲ διὰ τὴν ἐν τοῖς Κρησί μῆξιν Πασιφάης πρὸς τὸν  
ταῦρον. ἄλλως. ἐκ τῶν ἐν τῇ Αἰόλῳ Κανάκης καὶ Μακαρέως,  
ἢ ὡς τινες Δανάης καὶ Μεγαρέως τῶν ἀδελφῶν. ἐδόκει γὰρ  
τοῖς παλαιοῖς πάντ' ἐναγὲς εἶναι ταῖς ἀδελφαῖς μίγνυσθαι. ἢ  
ὅτι ἡ Φαίδρα κτλ. In quibus quae ad primum versum il-  
lustrandum pertinent et quae ad secundum, excerpta ex  
antiquioribus commentariis, misere confusa sunt ab eo, sive  
ab iis, qui haec scholia consarcinarunt. Ex Aeolo autem  
is, quem Hyginum dicimus, quemque argumenta sua my-  
thica praecipue ex Euripidis hausisse tragoediis verissima  
Reinesii observatio est, fab. 238. eos recensens qui filias  
suas occiderant: »Aeolus, addit, Canacen propter incestum  
cum fratre Macareo admissum.« et fab. 242.: qui se ipsi  
interfecerunt: »Macareus Aeoli filius propter Canacen so-  
rorem id est sponsam.« Idemque fab. 245. »Canace Aeoli  
filia propter amorem Macarei fratris ipsa se interfecit.«  
Apollodorus autem I. 7. 4. quum Aeoli stirpem recenset,  
Canacen quidem habet, Macareum ignorat. Et Canace qui-  
dem etiam docto innotuit Callimacho, qui Hymn. in Cer.  
100. Triopam gloriantem inducit stirpem se esse Αἰολίδος

*Κανάκης.* Macarei huius non alia vestigia reperio : quam in Hom. Hymn. in Apoll. 37.

*Ἀέθρος τ' ἠγαθή, Μάκαρος ἔδος Αἰολίονος.*

A quo diversa Hesiodus tradiderat et alii: quos Diodorus sequitur V. 81. Vide ibi plura apud Wessel. Vol. III. p. 641. Bip. At non semel nec parce rem tangit Ovidius, non sane spernendam eam huic poetae. Nam et sic execratur in Ibid. 359. sq.:

Byblidos et Canaces sicut facis ardeat igne,  
Nec nisi per crimen sit tibi fida soror.

et Trist. II. 1. 381. sqq. his se defendit:

Omne genus scripti gravitate tragoedia vincit:  
Haec quoque materiam semper amoris habet.  
Nam quid in Hippolyto est, nisi caecae flamma novercae?  
Nobilis est Canace fratris amore sui. cet.

Quin inter Heroidum epistolas unam posuit Canaces ad Macareum fratrem, undecimam; quam non esse supposititiam, ut hoc ex numero constat esse quasdam, ipse confirmavit certissimo testimonio Amor. II. 18. 20. sq. Hic enim de operibus exponens suis addit haecce:

Quod Paris et Macareus et quod male gratus Iason  
Hippolytique parens Hippolytusque legant.

Iam vero de Canace et Macareo nullius poetae tragoedia commemoratur, nisi Euripidis, atque eius opera »nobilis est Canace«; nec sane multorum ingenio, certe non eximiorum, ignobile illud argumentum atque humile poterat placere; Ovidius autem Euripidem cum omnino habuit in deliciis, ut alias eum imitatus sit saepenumero, velut Hecubam in Metamorphosis (v. Porsonis Praelect. in Eurip., praefixam Adversariis ipsius, p. 23. sqq. ed. Angl.), tam vero has ipsas Heroides maximam partem ad

illius composuit tragoedias, quippe quibus amatorii mirum quantum inesset argumenti. Quamobrem non levi, ut opinor, ductus coniectura fabulam Euripideam *Αἶολον* Ovidiana hac epistola nobis repraesentari meo iure assevero. Quid enim, obsecro, causae fuerit Ovidio, ut, etiamsi qua exstaret, aliam tragoediam nescio quam, certe tam ignobilem, ut ne ullum quidem eius supersit vestigium, celeberrimae praeferret Euripideae, et quae cum ipsius consilio plane conspiraret? Quin illis Tristium versibus Euripideas omnino fabulas recensens in iisque *nobilem* Canacen, ipse mirifice videtur coniecturam nostram adiuvare. Quodsi hoc non abnueris, vide quam pulcre argumentum Aeoli et revocari ex Ovidio possit singulis scenis et explicari atque illustrari comparatis quae servata sunt fragmentis. Est autem primum eximendum his fragmentis unum, quod postremo loco posuit Musgravius Vol. II. p. 417. *Ἑλληγν γὰρ κτλ.* Quod quum e prologo sumtum esse possis suspicari, ad Sisyphum pertinere, non ad Aeolum, recte vidit Valckenarius Diatr. p. 209., adstipulante Iacobso Animadv. in Eurip. p. 202 sq. Prologum quis dixerit, ignoramus. At non procul ab initio hoc agebatur, ut nutrici Canace amorem culpamque fateretur suam, imploraretque eius auxilium: qua re spectatoribus status rerum exponebatur: v. Ovid. v. 27. sqq. Refero huc versum illum:

*Τί δ' αἰσχρὸν ἦν μὴ τοῦσι χρωμένοις δοκῆ;*

quem sic eludit, damnatum a se Euripidem eo irridens, Aristophaneus Dionysus Ran. 1523.:

*Τί δ' αἰσχρὸν ἦν μὴ τοῖς θεωμένοις δοκῆ;*

quo loco versum contendens servavit Scholiasta. Est autem ille nutricis, levi animo consolantis opemque suam et consilium pollicentis. Eiusdem ex sermonibus, credo, hi versus depromti sunt apud Stobaeum Tit. LXIII. 1.:

Τῇ δ' Ἀφροδίτῃ πόλλ' ἔνεστι ποικίλα·  
 Τέρπει τε γὰρ μάλιστα καὶ λυπεῖ βροτούς·  
 Τίχοιμι δ' αὐτῆς, ἥνικ' ἐστὶν εὐμενής.

nec minus isti apud eundem Tit. CXVI. 38.:

Ἄλλ' ἢ τὸ γῆρας τὴν Κύπριον χαίρειν ἔῤ,  
 Ἢ τ' Ἀφροδίτῃ τοῖς γέρονσιν ἄχθεται.

in quibus ἄλλ' ἢ (*sed profecto*) scripsi pro ἄλλ' ἢ. Sequebantur lamentationes mulieris imminente partu extortae, curaeque nutricis: lege v. 45. sqq. Dolo percitus accurrit frater idemque sponsus, plorat, desperat, consolatur, obsecrat (v. 57. sqq.). Iam, ut videtur, Canace digreditur, partuque levatur. Quorum omnium fragmenta quidem supersunt nulla: sed subsidium Suetonius praebet Ner. 21., qui Neronem testetur inter ceteras tragoedias etiam »Canacem parturientem« cantasse personatum: conf. Auson. Epigr. 84., Cupid. Crucif. 38. At iam novus labor:

Media sedet Aeolus aula:

Crimina sunt oculis subripienda patris.

v. 65. sq. Rationem invenit callida nutrix, quae sacra simulans institui infantem celat frugibus ramisque olivae et levibus vittis. Quod consilium parans his verbis amantes illa alloquitur (Stob. T. XXXV. 3):

Παῖδες, σοφοῦ πρὸς ἀνδρὸς ὅστις ἐν βραχεῖ

Πολλοὺς λόγους οἷός τε συντέμνειν καλῶς.

excusabatque conatus suos versu hoc (Stob. T. L. 6.):

Τὰ πόλλ' ἀνάγκη διαφέρει τολμήματα.

ubi διαφέρει intelligo *disponit*, *adornat*, *instituit*: διαφέρει corrigit Iacobsius l. c., quod exemplo nullo confirmavit. Atque optime res cedere videbatur nutrici sedulae, sed anxiae, fratri doloribus cruciato, matri paene exspiranti: t nutrix, ut puerum callide tectum domo efferret,

Iam prope limen erat: patrias vagitus ad aures

Venit, et indicio proditur ille suo.

Eripit infantem mentitaque sacra revelat

Aeolus. Insana regia voce sonat.

v. 71. sqq. Fraudes nutricis a choro celebrabantur cantico, cuius superest fragmentum, quod ex Stobaeo T. LIV. 6., et Plutarcho T. II. p. 959. c. d., p. 98. d. e, recte sic concinnavit Valckenarius Diatr. p. 147.:

*Ἡ βραχὺ τοι σθένος ἀνέρος·*

*Ἀλλὰ ποικιλία πραπίδων*

*Δεινὰ μὲν ἴφῦλα πόντου.*

*Χθονίων τ' ἀερίων τε*

*Δάμναται παιδεύματα.*

Aeolus autem furibundus in Canaces irruit cubile, clamore filiae vulgans pudorem, »et vix a misero continet ore manus.« Tum multa dira cum alia profundit tum vero haec, quae Stobaeo debemus T. LXXIII. 13.:

*Γυναῖκα δ' ὅστις πάσεται ἰλέγων κακῶς,*

*Δύστηρος ἄρα κοῦ σοφὸς κεκλήσεται.*

sententia plane Euripidea. »Ipsa nihil praeter lacrimas pudibunda profudit.« Tandem ille postquam discessit, prorumpunt planctus miserandae mulieris, puerum canibus avibusque dari iussum suamque ac fratris calamitatem deplorantis (v. 90. sqq.): donec satellites patrius vultu moerente gladium affert a patre missum, quo inquinatae filia vitae exitum imponat. Idque mox illa exsequitur, »pectoribus condens dona paterna suis« (v. 98.). Tantum ex Ovidio tragoediae cognoscitur. At Macareus quoque ipse se interfecit: testatur Hyginus. Atque sic demum, ὑπερβαλλόντων τῶν κακῶν, recte tragoedia nomen habet ab Aeolo patre. Quem ipsum quoque non paucis esse lamentatum, haec docent (Stob. T. CXVI. 4.):

*Φεῦ, φεῦ, παλαιὸς αἴνος ὡς καλῶς ἔχει·*

*Γέροντες οὐδὲν ἐσμὲν ἄλλο πλὴν ὄχλος*

*Καὶ σχῆμ', ὀνειρώων δ' ἔρπομεν μιμήματα.*

*Νοῦς δ' οὐκέτ' ἐστίν· οἴμεσθα δ' εὖ φρονεῖν.*

ubi πλήν λόγος pro πλήν ὄχλος vere Valckenarium emendasse arbitror ad Ammon. p. 15. Eiusdem, puto, hi versus fuerunt (apud Stob. CIV. 10.):

*Ἄει τὸ μὲν ζῆν, τὸ δὲ μεθίσταται κακόν,  
Τὸ δ' ἐκπέφηνεν αὐτίκ' ἔξ ἀρχῆς νέον.*

quales commode apud Musgraviū: non placent Heathii conatus (p. 162.) τὸ δ' αὖ γ' ἔφηνεν et Iacobsii l. c. τὸ δ' ἐκπέφηνεν αὐτίκ' Stobaeus τὸ δ' οὐκ ἔφηνεν αὐτίκ' ἔξ ἀ. ν. magis corrupte A. (Gaisf.) αὐτίκ'. correctus B. ἔξέφηνεν. Sed supersunt fragmenta nonnulla, quibus ex coniectura ordo reddendus est. Igitur quod Stobaeus custodivit T. XCI. 21., manifesto alteratrius est puerorum Aeoli cum patre expostulantis, argutiis, puta, more Euripideo: et pertinet quidem ad illud Macarei cum Aeolo colloquium, supra a Dionysio commemoratum, quo callido patri consilio persuadere studebat, filias filiis dari concederet in matrimonium: ac sane Canacae quae proferuntur minus conveniunt:

*Τὴν δ' εὐγένειαν πρὸς θεῶν μῆμοι λέγε·  
Ἐν χρήμασιν τόδ' ἐστὶ· μὴ γαυροῦ, πάτερ·  
Κύκλω γὰρ ἔρπει· τῷ μὲν ἔσθ', ὃ δ' οὐκ ἔχει·  
Κοινοῖσι δ' αὐτοῖς χρώμεθ'· ᾧ δ' ἂν ἐν δόμοις  
Χρόνον ξυνοικεῖ πλεῖστον, οὗτος εὐτυχῆς.*

Eiusdem disputationis haec fuerunt (Stob. T. XLIII, 20., al.):

*Δοκεῖτ' ἂν οἰκεῖν γαῖαν εἰ πένης ἅπας  
Λαὸς πολιτεύοιτο πλουσίων ἄτερ;  
Οὐκ ἂν γένοιτο χωρὶς ἐσθλὰ καὶ κακὰ,  
Ἄλλ' ἐστὶ τις σύγκρασις, ὥστ' ἔχειν καλῶς,  
Ἄ μὴ γὰρ ἐστὶ τῷ πένηθ', ὃ πλούσιος  
Δίδωσ'· ἅ δ' οἱ πλουτοῦντες οὐ κεκτῆμεθα,  
Τοῖσιν πένησι χρώμενοι τιμῶμεθα.*

In quibus δίδωσιν pro δίδωσ' perperam apud Barnesium.



ubi v. 2. *τίς δ' ἂν* scripserim. Praeter haec autem illud quoque actum est, ut familiaris aliquis componere iram conatus sit regis furentis, luctumque solari: liquet hoc ex fragmentis (Stob. Tit. XX. 7.):

*Ὀργῇ γὰρ ὅστις εὐθέως χαρίζεται,  
Κακῶς τελευτᾷ· πλείστα γὰρ σφάλλει βροτούς.*

et ibid. T. XXII. 14.:

*Σιγᾶν φρονοῦντα, κρείσσον' εἰς ὀμίλιαν  
Πεσόντα. τούτῳ δ' ἀνδρὶ μῆτ' εἶην φίλος  
Μήτε ξυνεῖην, ὅστις αὐτάρκη φρονεῖν  
Πέποιθε, δούλους τοὺς φίλους ἡγούμενος.*

quorum priora immerito tentarunt Valckenarius et Grotius. Hoc vult: qui in potentiores<sup>3</sup> convictum (i. e. in convictum seu consuetudinem potentioris hominis) incidit, eum satius est tacere: amicus vero coram amico tacere non debet. Eodem spectant quae prostant ibid T. CVIII. 19.:

*Μοχθεῖν ἀνάγκη· τὰς δὲ δαιμόνων τύχας  
Ὅστις φέρει κάλλιστ', ἀνὴρ οὗτος σοφός.*

Incertum cuius, versus est hic (Stob. T. IV. 11.):

*Κακῆς ἀπ' ἀρχῆς γίγνεται τέλος κακόν.*

Itemque haec (Stob. T. LXXI. 3.):

*Κακὸν γυναικα πρὸς νέαν ζεῦξαι νέον.  
Μακρὰ γὰρ ἰσχὺς μᾶλλον ἀρσένων μένει,  
Θήλεια δ' ἤβη θᾶσσον ἐκλείπει δέμας.*

quanquam haec quidem videantur patris esse disputantis. Denique verba duo *Κλήρος Ἐρμου* (Suid. v. *κλήρος*), et vocabulum unum *Ἀκρατὲς*, quod ex Aeolo excerptis Hesychius s. v., praetermissum hoc quoque a Musgravio, ea quid sibi velint, vel coniectare quis audebit? Illud autem, quod pater filiae gladium mittit, quo se transfigat, ac transfixit, lucem affundit ei quem primum attulimus Hygini loco, ubi a patre Aeolo interfectam eam dicit, quam postea, a se ipsa. Mōaεο, nequis diversas inde fabulas<sup>4</sup> expiscetur.

Igitur vides tragoediam plenam lacrimarum, destitutam omni maiestate ac dignitate cothurni, genuinum ergo opus τοῦ τραγικωτάτου ποιητοῦ. Ea ut comicorum effugeret sales, vix poterat fieri. Idque tantum abfuit ut homini condonaretur, ut tres comicorum poetarum commemorentur fabulae, quibus id argumentum ad iocum risumque detortum est. Nam et ex Eriphi Aeolo fragmentum unum Athenaeus habet IV. p. 134. c., et ex Antiphanis Aeolo duo idem X. p. 444. f., XII, p. 552. f., et Aristophanes non solum aliis in comoediis acerbe odiosissimum sibi hominem propter hanc tragoediam perstrinxit (Ran. 1523., 1113. c. schol., Nub. 1374. c. schol., Thesm. 412. sq.), verum etiam tota fabula Aeolum eius derisit, nomine etiam indicans τοῦ Αἰολοσίκωρος: cuius quidem satis magna hodieque fragmentorum exstat copia, ut clarior ea reliquis duabus fuisse videatur. Et classicus quidem de Aristophanis Aeoloscione locus Platonii est περὶ διαφορᾶς κωμῳδιῶν (p. XI. ed. Kuster.): qui postquam veteris comoediae licentiam incidente oligarchia sensim coercitam esse narravit, choregis quoque deficientibus, haec addit: οὐ γὰρ ἔτι προθυμίαν εἶχον οἱ Ἀθηναῖοι τοὺς χορηγούς τοὺς τὰς δαπανὰς τοῖς χορευταῖς παρέχοντας χειροτονεῖν. τὸν γοῦν Αἰολοσίκωνα Ἀριστοφάνης ἐδίδαξεν, ὃς οὐκ ἔχει τὰ χορικά μέλη. τῶν γὰρ χορικῶν μὴ χειροτονουμένων καὶ τῶν χορηγῶν οὐκ ἔχόντων τὰς τροφὰς (sic emenda τῶν γὰρ χορηγῶν μὴ χειροτονουμένων καὶ τῶν χορευτῶν οὐκ ἔχόντων τὰς τροφὰς), ὑπέξηρέθη τῆς κωμῳδίας τὰ χορευτῶν μέλη, καὶ τῶν ὑποθέσεων ὁ τρόπος μετεβλήθη. σκοποῦ γὰρ ὄντος τῆ ἀρχαία κωμῳδία τοῦ σκώπτειν δῆμον (f. δῆμον) καὶ δικαστὰς καὶ στρατηγούς, παρείς ὁ Ἀριστοφάνης τοῦ συνήθως ἀποσκῶψαι διὰ τὸν πολλὸν φόβον, Αἰόλον τὸ δράμα τὸ γραφὲν τοῖς τραγικοῖς ὡς κακῶς ἔχον διασύρει. τοιοῦτος οὖν ἐστὶν ὁ τῆς μέσης κωμῳδίας τύπος, οἷός ἐστιν ὁ Αἰολοσίκων Ἀριστοφάνους, καὶ οἱ Ὀδυσσεῖς Κρατίνου, καὶ πλεῖστα τῶν παλαιῶν δραμάτων οὔτε χορικὰ οὔτε παραβάσεις

*ἔχοντα*. Similia postea repetantur, et quidem ita, ut non unius hoc fragmentum scriptoris esse appareat, sed consuta frustula plurium. Illud autem quum non testetur Platonius, Euripidis Aeolum ab Aristophane esse derisum, seu negligentia seu inscitia (infra *διασύρειν Ὀμηρον εἰπόντα τι ἢ τὸν δεῖνα τῆς τραγωδίας ποιητῆν*), recte tamen coniectura assecutus esse videor: eum propterea quod multis locis aliis hanc ille fabulam non benevole carpsit, tum quod nullius tragici alia exstitisse videtur. Iam vero et omnino illud quaeritur, qua ratione tragoediam Aristophanes comoedia traduxerit, et imprimis hoc, qui significatus sit nominis *Αἰολοσίκων*: nam etiam argumento fabulae inde lucis aliquid fortasse affulget. Qua in re, altera nominis parte ipsum indicari poetae piaculum, τὸν *Αἶολον*, facile intelligitur: de terminatione quum dubitari possit, apparet res e loco quodam Athenaei. Fuit enim Sicon olim coquus, et colebatur postea tanquam princeps coquorum sive ἀρχηγός. Sosipatri *Καταψευδομένην* ap. Athen. IX. p. 378. a. coquus gloriosus solum se et Boedionem Chariademque divinam coquorum artem adhuc callere iactitans, ceteris baronibus:

*Τὸ διδασκαλεῖον ἡμεῖς σώζομεν  
 Τὸ Σίκωνος. οὗτος τῆς τέχνης ἀρχηγός ἦν.  
 Εδίδασκεν ἡμᾶς πρῶτον ἀστρολογεῖν Σίκων,  
 Ἐπειτα μετὰ ταῦτ' εὐθὺς ἀρχιτεκτονεῖν.  
 Περὶ φύσεως κατέχευε πάντας τοὺς λόγους·  
 Ἐπὶ πᾶσι τούτοις ἔλεγε τὰ στατηρικά.  
 Πρὸ τῆς τέχνης ἔσπευδε ταῦθ' ἡμᾶς μαθεῖν.*

et in sequentibus disciplinas eas omnes expromit, alterum excrucians. Recte autem ad h. l. Casaubonus (Animadv. l. IX. c. 6.) errare monet eos, qui *Σικύων* velint corrigere, et fluxisse inde Aeolosiconem Aristophanis: sed is nihil quidquam addidit amplius, praeter haec satis mira: „de Siconis cuiusdam levitate et stultitia:“ de Aeolo minime

cogitans. Compositio autem nominum qua sit explicanda ratione, docebit analogia. Ex qua primum memineris velim versus Aristophanei Ran. 497., ubi postquam timore semianimis Dionysus Xanthiae servo totum apparatus tradidit, quo se Herculis specie induerat, elatus is superbia sic dominum admonet:

*Καὶ βλέπον εἰς τὸν Ἡρακλειόξανθίαν,  
Εἰ δειλὸς ἔσομαι καὶ κατὰ σὲ τὸ λῆμ' ἔχων.*

Indicat ergo unum hominem ex duobus conflatum, atque natura praeditum ex utriusque naturis mixta. Comoedia autem tali ornata indice quum supersit nulla, etiam deperditarum tituli ea ratione compositi non commemorantur nisi perpauci. Et quidem duae tales fuerunt Romanorum poetarum fabulae, haud dubie aut integrae aut magnam partem ex Graecis expressae. Quarum altera M. Terentii Varronis est *Oedipothystes*, laudatus Nonio p. 475. 28., cuius argumentum, alias non ita facile perspectu, opportune in aprico ponit haec Hygini fabula (n. 88.), qua Thyestem narratur exsulem, quum Sicyonem venisset, ubi ipsius filia fuerit deposita, Pelopia, hanc noctu vitiasse; postea eam nupsisse Atreo; Aegisthum, conceptum ex Thyeste, a matre expositum, servatum esse a pastoribus, educatumque ab Atreo; postea is quum Thyestem cepisset, misisse Aegisthum ad illum interficiendum; re autem cognita, Pelopiam se ipsam interfecisse, Aegisthum vero occidisse Atreum, atque cum patre Thyeste in regnum redisse avitum. Haec quoque fabulae oeconomia Euripide non indigna: quem Thyestem scripsisse nemo nescit: eandem tamen fere historiam Sophocles tractavit in *Θυέστη δευτέρῳ*. Praeterea fragmentum ex Agathonis Thyeste quodam Athenaeus habet XII. p. 528. Alios addere operae pretium non est. Ex comicis autem poetis Dioclis Thyestes commemoratur a Suida v. *Διοκλῆς*. Altera, quam dicebam, fabula,

Naevii fuit *Protesilaodamia*, qualem soni gratia indicem dedit pro *Protesilaolaodamia*: *Protesilaum* idem scripsit Euripides, ex quo decem fragmenta conquisivit Musgravius; fabulam hanc quoque ex Euripide Hyginus enarrat f. 103. et 104. Naevii comoediam Nonius laudat p. 116. 7., 209. 50., Priscianus VI. p. 703. Putsch, Laevii (ut in indice) sive Livii (ut in contextu, recte) *Protesilaus* apud Prisc. X. p. 877., *Laodamia* ibid. IX. p. 869. Ex Graecis *Protesilaum* Anaxandrides scripsit (Athen. IV. p. 131. a., XII. p. 553. d.). Graecarum autem tali elogio comoediarum maxime laudatur Cratini *Διονυσολέξανδρος*, cuius fragmenta apud Athenaeum, Pollucem, Suidam, Etymologum, alios: de qua Casaubonus ad Athen. III. 52.: »scripta videtur in Alexandrum tyrannum, qui pro Baccho voluit coli.« At Phraeus Alexander vix in lucem editus fuit moriente Cratino antiquae comoediae poeta. Quo fit, ut si argumentum hoc fuisse dicas, iuniori Cratino fabula sit cedenda. Id quod fecit Meinekius Quaest. Scen. I. p. 24.: quanquam is argumentum arbitratur ad Alexandri Magni spectasse expeditionem, Dionysiaca pompae adsimilatam: quod vix crediderim, cum propter ea, quae hoc tempore inde existebant, pericula, tum quod postremo tempore talia a poetis minime tractabantur, eam ipsam ob causam: ne illud tangam, quod in expeditione illa bellica iocorum aut parum fuit aut nihil. Ego ad Paridem eam spectasse suspicor, cuius sub specie fortasse iudicium de dearum pulcritudine et quae sequebantur ridicule exsecutus est Dionysus. Ceterum *Διώνυσον* complures scripserunt: Aristomenis hoc indice fabulam duobus locis Athenaeus commemorat, eandemque nomine *Διώνυσος ἀσκητῆς* Pollux III. 150.; Magnetis *Διώνυσον* Athen. IX. p. 367. f., XIV. p. 646. e., Poll. VI. 79. cum Iungerm. *Ephantidae* *Διώνυσον* acute et docte Naekius detexit in Choerilo p. 52. Iam simili ratione compositae fuisse videntur *Metagenis* *Θου-*

ριοπέρσαι (conf. Meinek. Qu. Sc. II. p. 53.), Pherecratis  
*Μυρμηκῶνδρωποι* (conf. Mein. l. c. p. 38. sq. Fortasse ea  
 traducebatur tragoedia quaedam *Μυρμιδόνες*), Polyzeli *Δη-*  
*μοτυνδάρως*, quo Kuhnius ad Poll. probabiliter statuit τῷ  
 δήμου expositam fuisse restitutionem in integrum, ad instar  
 Tyndarei, quem mortuum ab inferis resurrexisse vetus fa-  
 bula est (v. Suid. v. *Αἴσωπος*); eademque ego ratione *Δη-*  
*μοσατύρους* intelligo Timoclis apud Athen. IV. p. 165. f.,  
 quanquam renitente Meinekio Qu. Sc. I. p. 50. not.: certe  
 et *Δῆμον* seu *Δῆμονος* et *Σατύρους* multi scripserunt: co-  
 gita *Δῆμονος* nobilissimam fabulam Eupolidis (vid. Valcken.  
 Diatr. p. 252.); *Σατύρους* Ephantidae Athenaeus laudat III.  
 p. 96. c.; Phrynichi de *Σατύροις* vide diligenter et acute  
 disputantem Meinek. II. p. 8., 10.; Cratini *Σάτυροι* cuius  
 in promptu. Denique sic capiendi sunt *Τιτανοπᾶνες* Myrtili,  
 a grammaticis hic illic laudata fabula, sed titulo saepius  
 corrupto: qua quidem illud actum puto, ut Pani Solis cur-  
 rus traditus sit regendus, unde iocosae res multae. Idque  
 iam ducit nos ad interiorem huius compositionis perspi-  
 ciendam rationem. Nam quum hac fere comoediae aetate  
 is Athenis mos invaluisset, ut duorum numinum divino-  
 rum et signa et nomina componerentur in unum, unde  
 Panapollo, Hermathene, Hermeracles (v. Cic. ad Att. I. 4. et  
 10, cet): similiter ac perstringendi illud causa comici poetae  
 duabus ex personis unam conflarunt, utriusque natura prae-  
 ditam ex parte, idque duplici nomine indicatum voluerunt.  
 Qua in re saepe ita sunt versati, ut fabulas duas, quarum  
 primas agentes personae aliquid haberent inter se cognati,  
 contraherent in unam, dextroque adhibito vinculo totum  
 componerent non illepidum. Id postea imitati sunt Latini  
 poetae comici, ut Terentius, qui ex duabus fabulis Grae-  
 cis unam Latinam fecerunt *contaminantes* (v. Prol. ad Andr.).

Caetera dabuntur proxime.

---